

BX 880

M5

V.152



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

THEOLOGIA

REDACTA

IN COMPENDIUM

PER

INTERROGATA ET RESPONSA,

AD USUM EXAMINANDORUM.

NOTA.

Hujusce Compendii duodecim erunt Tractatus.

- | | |
|---|---|
| 1. ERIT DE PROLEGOME-
NIS. | 7. DE ACTIBUS HUMANIS. |
| 2. DE DEO UNO. | 8. DE LEGIBUS. |
| 3. DE DEO TRINO. | 9. DE OBLIGATIONIBUS
VARIORUM STATUUM. |
| 4. DE DEO CREATORE. | 10. DE VIRTUTIBUS. |
| 5. DE DEO INCARNATO. | 11. DE PECCATIS. |
| 6. DE DEO PER GRATIAM
SANTIFICATORE. | 12. DE SACRAMENTIS. |

TRACTATUS I.

De Prolegomenis.

Hujus Tractatus erunt tres Disserta-
tiones; 1. de ipsa Theologia. 2. De lo-
cis Theologicis. 3. De propositionum Cen-
suris.

*
004554

DISSERTATIO I.

De ipsa Theologia.

Quaeres 1. **Quid est Theologia?**

Resp. Theologia, quae secundum vim nominis, est *Sermo de Deo*, definitur: *Habitus mentis, quo ex veritatis immediate, vel mediate revelatis, aut ex una saltem revelata, variae de Deo, rebusque divinis, conclusiones per discursum deducuntur.*

Quaeres 2. **Quotuplex est Theologia?**

Resp. Duplex, nimirum speculativa, et practica, seu moralis.... *Speculativa*, est ea, quae in objecti sui contemplatione quiescit, nihil circa illud operans... *Moralis*, est ea, quae ad informandos mores tota occupatur.

Quaeres 3. **Existitne Theologia?**

Resp. Affirm. Quia ex Sacris Scripturis et traditione probamus res divinas, quomodo Christus ipse suam probavit divinitatem ex hoc Davidis textu, *Psalm. 109. Dicit Dominus Domino meo; ex quo sic arguit: Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus?*

Quaeres 4. **An Theologia sit necessaria?**

Resp. 1. Theologia, secundum substantiam specata, simpliciter et absolute necessaria est corpori Ecclesiae, quia ex Aug. (1) Theologia est *Scientia, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur et robatur*; atqui talis scientia est absolute necessaria corpori Ecclesiae; ergo, &c.

Res. 2. Theologia Scholastica corpori Ecclesiae non est absolute necessaria, quia Ecclesia, cum sola Theologia positiva, diu stetit, diuque floruit sine ope Scholasticae, quae primum apud Graecos ortum habuit

(1) *Lib. 14. de Trinit. cap. 1.*

de Prolegomenis.

5

saeculo VIII. et apud Latinos saeculo XII. tempore Petri Lombardi Episcopi Parisiensis, cui originem debet.

Est tamen valde utilis, cum multum conferat 1. ad Philosophos per propria ad fidem veritatis perducendos. 2. Ad refellendos Sophistas. 3. Ad faciliorem rerum, quae ex fide sequuntur, intelligentiam, quod, enim varie multiformique argumento suadetur, id firmius haeret animis discipulorum: hinc Div. Basil. in cap. 2 *Isaiae*, dicit: *Dialectica muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi et quorundam incursioni patere.*

Dices: Scriptura et SS. Patres rejiciunt usum Philosophiae, tanquam fidei nocivum; ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Tanquam fidei nocivum, per accidens, conc.: per se, nego ant. Loquuntur ergo Scriptura et Patres de Philosophia falsa et sophistica, supra auctoritatem Scripturae & traditionis dominativa, quaeque tota est ad simplicitatem fidei circumveniendam; non vero de vera Philosophia, quam adhibent Theologi ad detegenda et solvenda haereticorum sophismata, & quae captivatur in obsequium fidei, a qua regitur ut ancilla, & cui dominari non permittitur.

Quaeres 5. **Quodnam est objectum materiale Theologie?**

Resp. Est Deus ipse, et res omnes, quae ad Deum aliquo modo referuntur, vel tanquam effectus ad causam, ut Angelus, homo, mundus hic aspectabilis; vel tanquam instrumentum salutis nostrae animatum, ut Christus, qui per passionem suam nos redemit, et per gratiam suam nos perducit ad Patrem: vel tanquam instrumentum salutis inanimatum, ut sunt Sacraenta novae Legis, quae sanctificant hominem per gratiam, quam significant et producunt: vel tanquam media ad finem, ut sunt actus humani. *Ratio est*, quia Theologia circa illa omnia versatur.

Quaeres 6. **Quodnam est objectum formale quod Theologie?**

Resp. Est ipsa divinitas; quia est fons et radix omnium, quae in Deo sunt, et a Deo producuntur; quare enim est Creator, Sanctificator, &c. quia habet divinitatem: quare est unus, trinus, infinitus, quia habet divinitatem; ergo divinitas est formalitas, sub qua Theologia attingit suum objectum materiale; ergo, &c.

Quaeres 7. Quodnam est objectum formale quo, seu motivum Theologie?

Resp. Est conclusio, quae ex revelatione per argumentationem deducitur. Unde fundatur mediate in revelatione; per quod differt 1. a fide divina, quae habet pro motivo immediate ipsam revelationem; 2. a scientiis mere naturalibus, quae nec fundantur in revelatione, nec ducuntur ex illa.

Quaeres 8. Ad quem habitum mentis reducitur Theologia?

Resp. Reducitur ad scientiam; quia ad scientiam proprie dictam, duo sufficient, nempe evidentia consequiae, et certitudo consequentis; atqui Theologia 1. habet evidentiam consequiae, id est, evidenter cognoscit propositionem, quam infert, necessario sequi ex praemissis. 2. Habet certitudinem consequentis, id est, veritatis, quae ex praemissis deducitur, cum nitatur divina revelatione, quae est certissima, cum Deus, nec falli, nec fallere possit.

Quaeres 9. An Theologia sit speculativa, vel practica?

Resp. Est speculativa simul et practica. Speculativa quidem, quatenus sistit in contemplatione sui objecti attributionis, quod est Deus. Practica vero, quia ad Dei possessionem dirigit per virtutis exercitium, et peccati fugam.

Quaeres 10. Utrum Theologia sit certior omnibus scientiis naturalibus?

Resp. Est certior, 1. *Certitudine objecti*, quia versatur circa objectum magis immutabile et invariabile, nempe circa Deum resque divinas. 2. *Certitudine sub-*

jecti, quia motivum, propter quod intellectus assentitur conclusioni Theologicae, est certius ac firmius eo quod in aliis scientiis intellectum determinat ad assensum: est enim divina revelatio, quae majorem certe habet certitudinem, quam principia lumine naturali cognita, quae sunt motiva scientiarum naturalium.

Quaeres 11. An conclusio theologica sit aequa certa, ac fides divina?

Resp. Negative. Quia conclusio theologica est tantum certa propter unam saltem praemissam de fide; ergo fides est certior conclusione theologica; nam, ut fert axioma, *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.*

Quaeres 12. Utrum Theologia nostra sit subalternata scientiae Sanctorum, seu intuitivae Dei visioni?

Resp. Est subalternata improprie, non proprie.

Prob. prima pars. Quia duae conditiones requiruntur et sufficiunt ad subalternationem improprie dictam; nempe. 1. Quod scientia subalternans sit superior subalternata. 2. Quod scientia subalternata ad scientiam subalternantem comparadam ordinetur; atqui 1. scientia Beatorum est superior Theologia viatorum. 2. Theologia viatorum ad scientiam Beatorum comparandam ordinatur; ergo.

Prob. Secunda pars. Quia ad proprie dictam subalternationem requiritur, 1. Ut scientia subalternata habeat idem objectum ac scientia subalternans, sed contractum per aliquam rationem accidentalem realem, sub qua a subalternante non consideretur. 2. Ut scientia subalternata desumat sua principia a subalternante. 3. Ut subalternata cum subalternante sit compatibilis in eodem subjecto. Atqui Theologia nostra nullam habet ex his conditionibus respectu scientiae Beatorum: nam 1. habet idem objectum ac Theologia Beatorum, nulla differentia reali contractum, nempe Deum sub ratione deitatis. 2. Theologia nostra non desumit sua princi-

pia a scientia Beatorum, cum principia nostrae Theologiae sint propositiones fidei, quae non reperiuntur in scientia Beatorum. 3. Nostra et Beatorum Theologia non possunt esse in eodem subjecto, cum nostra sit obscura et inevidens, Beatorum vero sit clara et evidens, quae duo sese mutuo excludunt; ergo, &c.

Quaeres 13. An Theologia nostra sit etiam sapientia?

Resp. Affirm. Quia sapientia est *cognitio rerum altissimarum per altissimas causas*; atqui Theologia nostra est cognitio rerum altissimarum, nempe Dei rerum que divinarum, per altissimas causas, nempe per revelationem divinam, quae haud dubie est causa altissima; ergo.

Quaeres 14. An Theologia sit scientia ordinis supernaturalis?

Resp. Est scientia ordinis naturalis; quia ratio formalis specificativa Theologiae, nempe discursus per quem acquiritur, est mere naturalis, cum sit actus intellectus agentis secundum suam virtutem naturalem; ergo.

Nec. obstat quod Theologia habeat causam supernaturalis, nempe revelationem, siquidem revelatio est causa tantum remota Theologiae, cuius causa proxima est judicium de connexione, quam habet aliqua veritas cum articulo revelato, quod judicium est merus foetus rationis illam connexionem per discursum apprehendens; porro ordo, in quo est Theologia, non sumitur ex ejus causa remota supernaturali, sed ex ejus causa proxima, quae naturalis est.

DISSESSATIO II.

De locis Theologicis.

Quaeres 1. Quid sint loci theologici?

Resp. Sunt sedes, ac veluti promptuaria, ex quibus Theologia sua desumit argumenta.

Quaeres 2. Quot sunt loci Theologici?

Resp. Sunt decem praecipui: scilicet, *Scriptura sacra*, *traditio*, *auctoritas Patrum*, *Ecclesia Catholica*, *decreta summorum Pontificum*, *Concilia*, *praesertim generalia*, *auctoritas scholasticorum*, *rationis naturalis argumenta*, *philosophorum placita*, *humana ratio*. . . . sex primi sunt *interni*, ex quibus Theologia certa desumit argumenta; sex ultimi sunt *externi*, ex quibus desumit argumenta duantaxat probabilia. De his omaibus, sequentibus capitibus.

CAPUT L

De Scriptura Sacra.

Quid est *Scriptura sacra*?

Resp. Est, *Verbum Dei*, ab *auctore hagiographo*, *afflante Spiritu Sancto*, *scriptum*, & ut *tale* ab *Ecclesia nobis manifestatum*.

Quaeres 2. Utrum Scripturae, quae nobis ab Ecclesia ut sacrae proponuntur, sint libri veri, prout verum opponitur suppositio?

Resp. Sunt libri veri, et non suppositi; quia illi libri, quovis Ecclesiae saeculo, adscripti sunt auctoribus, quorum nomen praese ferunt, ut constat 1. ex infinitis *Scripturae editionibus*, quae, sub iisdem semper titulis, in lucem prodierunt. 2. Ex eo quod scriptores subsequentes, libros antea scriptos sub iisdem nominibus semper allegent; sic in novo Testamento citantur libri Mosis, Isaiae, Hieremiae, &c. 3. Ex primis Ecclesiae Patribus, qui libros novi Testamenti sub propriis nominibus referunt; ergo sunt libri veri.

Quaeres 3. Libri veteris Testamenti, qui Bibliis continentur, suntne integri?

Resp. Sunt integri quoad partes substantiales, id est,